

rificare juberemur? ecqui piorum corpora audirent Spiritus Sancti templa, si omnis spiritualitas orationis ac unionis mysticæ tolleretur per materialia? Ohe! quæ, qualis, quanta mentem subit effasciatio, si Molinosus & alii ab objecto orationis passivæ omnia objecta materialia, etiam Christum, ejus passionem, mortem, resurrectionem, vulnera, Sanguinem, summa certe incentiva precum & amoris divini, rejiciunt? Hoccine non est enecare ac jugulare unico ictu omnem orationem Deo placentem? Frustra tandem a talium Evchetarum defensoribus obtenditur distinctio quod Christus summus sit Deus per essentiam; anima vero deificata sit Deus per gratiam; quandoquidem miscetur in hoc posteriore asserto & confunditur gratia immediatæ identificationis, de qua controvertitur, cum gratia mediatæ conversionis ac regenerationis, ex qua *θέωσις* ista nullo jure elicitur. Imo & gratia imaginis Dei accidentalis, in nobis instauratæ per Christum, gratiam imaginis substantialis, nobis collatæ, haudquaquam infert. LINGVA NATURÆ BÖHMIANA; petulans & ipsa delirium est, adeoque tum *αἰσθησεως*, tum *κολάσεως δεόμενον*. Ecquis enim magna mysteria in tam putido commento quærat, illamve linguam Böhmiā a Spiritu S. communicatam cum Heinricho Moro existimet? Quin navigatione ad Anticyras & helleboro opus habuit tutor Görlicenus, quando, crepidam & calceos tractans, gallorum, canum, avium, luporum, imo omnium animalium voces sese callere, confidentius asseveravit. Alii hanc linguam naturæ ad argutias Cabbalistarum revocare amant, quibus seductus naturam pro Deo habuerit, Trinitatem naturalem crediderit, & sic linguam naturæ jactitarit. Fabulæ! LIQVEFACTIO, die Zerschmelzung / qua totus homo purum putum evadit nihil, proprie sic dictum, ejusdemque integra substantia proprie loquendo transmutatur atque convertitur in substantiam divinam, sive mavis, cum Iplis loquar, divinizatur, perinde, ac substantia ceræ in ignem, aut particula terræ in mare, dissolvuntur. LITERA MORTUA, hoc est, ipse literalis & a Spiritu S. directe intentus Scripturæ sensus, quem occidere illi putant, cum tamen sola Lex, Evangelio contradistincta, & prout infirmatur a

carne,